

**www.e-rara.ch**

**Xenophontis philosophi et historici clarissimi Opera, quae quidem  
Graece extant, omnia**

**Xenophon**

**Basileae, anno 1553**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-400>

Xenophontis de Cyri Minoris expeditione liber septimus, Romulo Amasaeo interprete

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ille ducibus conuocatis. Non potui, inquit, qualia optabam exta nancisci. Vos uerò nihil est quòd hac de causa animum despondeatis. Vestram hanc diu gloriam esse uolunt, ut hunc exercitum in Græciam reportetis: proficisci uobis igitur. Nostrum erit cum Græciam attigeritis, uos illic quambellissimè accipere. Ibi milites publicum pecus Cleandro donandum censuerunt. Quod cum accepisset, rursus illis reddidit, ac deinde quamprimum soluit. Græci frumento, quod undecunque comportarant, diuiso, atque item reliqua præda, per Bithynos iter facere cœperunt. At ubi rectè proficiscentes, neminem omnino offenderunt, neque quò in pacatum agrum diuenterent se habere uiderunt, retrocedentes, diem unum ac noctem totam in itinere fuere. At multos quidem interea cum homines, tum oues ceperunt. Sexto denique die Chrysopolim, quæ Chalcedoniæ ciuitas est, uenerunt, ibi septem dies in uendenda præda occupati fuere.

XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBER septimus, Romulo Amasæo interprete.



V AE gesta sint à Græcis in expeditione Cyro duce suscepta, usq; ad prælium: ac deinde post Cyri mortem in itinere, donec in Pontum uenere: ad hæc, quem admodum è Ponto partim nauibus, partim uerò pedibus egressi sint, usquequo Chrysopolin Asiæ urbem extra Ponti ostium sitam, accesserunt, in superioribus commentarijs exposuimus. Hæc uerò postea consequuta

sequuta sunt. Pharnabazus cum metueret ne copiæ illæ in suam prouinciam inuaderent, legatis ad Anaxibium nauarchum, qui tunc Byzantij erat, missis, ab eo contendit, ut nostrum exercitum quamprimum ex Asia traieciendū curaret, pollicitus se quicquid ad eam traiectionem pertineret, administraturum. Itaque Anaxibius, duces & centuriones Byzantium euocat, ac se illis stipendium, si traiecissent, daturum pollicitus est. Ibi cum alij tempus sibi ad deliberandum sumpsissent, Xenophon respondit, à reliquo exercitu statim se discessurum, ac Byzantium uenturum. Anaxibius uerò affirmabat, non antè ei discedendum, quàm cum cæteris traiecisset: neque sibi ille secus faciendum statuit. Interea Seuthes Thrax, per Medosadæm nuncium suum Xenophontem hortatur, ut ad traieciendum quamprimum militum animos incitet: quod si fecerit, præclare cum ipso actum iri. At qui, ille respondit, traiectionem non possim ego utiq; præstare, quare hoc nomine neque mihi, neque alij quicquam Seuthes pendat: postea uerò quàm exercitus transportatus iam fuerit, ego sanè me seiungam. Cum ijs autem qui manserint, quos ex re usuq; suo fore putarit, perinde ac ei cōmodum fuerit, ita agat. Exinde Byzantiū uniuersi milites transmiserūt. Quibus non modò stipendium Anaxibius non pendit, sed edixit etiam, ut cum armis impedimentisq; quamprimum exirent, simulans ille quidem se, censu habito, illos statim remissurum. Quod sanè factum Græci molestissimè tulerunt, atq; eò maximè quòd pecunia ad uiaticum nulla reliqua erat. Lentè igitur, & cōtracto quodammodo animo se ad iter comparabant. Xenophon cum Cleandri urbis præfecti hospitio usus esset, ad eum uenit, ac hominē com

plexus, ut qui amicos digredientes ualere iubent, se statim soluturum præ se tulit. At ille: Ne feceris, inquit, ne tibi sit grauis inuidia sustinenda: non desunt enim qui per te stare dicant, quò minus quam celerrimè exercitus exeat. Ego uerò, inquit Xenophon, culpa omnino uaco: id enim est unum militibus impedimento, quòd in promptu uaticum non habent: atque ob hanc causam & animi anguntur, & cunctantur. At ego, inquit ille, suadeo, ut rebus omnibus ad iter faciendum cõparatis, unà cum cæteris exeat: deinde cum totū agmen extra portas iam fuerit, licebit quòd uoles abire. Ad hæc Xenophon, se ita facturum, simulac Anaxibium conuenisset, respondit. Re audita Anaxibius, ut cum rebus suis quamprimū exeant, imperat: ac ut suos moneant, quemcunque in recensendo abesse norit, illum se hostis loco habiturum. Exierunt itaque primi omnium duces, tum reliqui consequuti sunt, ac iam intra mœnia reliqui erant pauci. Eteonicus ad portas stabat, ut simulac exissent, portas oppositis uestibus occluderet. Anaxibius ducibus & centurionibus aduocatis: Commeatus, inquit, ex Thraciæ uicis uobis sumetis: est enim ibi & ordei, & tritici magnus numerus, atque eorum quæ ad uictum pertinent omnium, præclara sanè copia: quæ cum acceperitis, in Chersonesum uobis eundum est, illic Cyniscus stipendium dabit. Hæc uel quòd milites aliquot subaudissent, uel quòd de centurionum numero quis eum sermonem protulisset, ad cunctorum sanè aures permanarūt. Quare dum duces diligenter ex Anaxibio quærent de Seuthæ, amici ne loco, an hostis esset habendus: & an per sacrum montem, an uerò per mediam Thraciam longiore ambitu iter esset faciundum: interea dum hæc illi percontantur,

tantur, arreptis armis milites ad portas cursu redeunt, ac  
 rursus intra muros irrūpere contendunt. Quod ubi Eteo-  
 nicus, quiq; cum eo erant, animaduenterunt, cōfestim por-  
 tas oppositis uectibus occludunt. At milites repagula per-  
 fringere conabantur, clamantes magna se iniuria affici,  
 quod hostibus obijcerentur: portas uerò se effracturos mi-  
 nabantur, nisi eas illi sua uoluntate aperuissent. Accurre-  
 runt alij ad mare, ac iuxta ipsa portus latera, quæ, quod  
 curuatis utrinque molibus prominent, chelas, id est\* ace- \*uel ungulam,  
 tabula Græci uocant, muris superatis intra oppidum de- sic fortasse re-  
 siluere: cū interea, qui intus relictī fuerant, cū ea quæ aius.  
 ad portas gerebantur, uiderent, dolabris, uectibus, et clau-  
 stris per fractis, suis aditū patefaciunt, illi uno omnes im-  
 petu irruerunt. Quod ubi Xenophon uidet, ueritus ne ad  
 prædam exercitus se conuerteret, ac quæ expiari facile  
 non possent flagitia (sutura proculdubio & ciuitati & si-  
 bi ac militibus perniciofa) cōmitterentur, & ipse accur-  
 rit, & intra portas unā cum ipso agmine euadit. Byzan-  
 tij ubi uident: tanto cum impetu agmen introrumpere, de-  
 serto foro ad naues alij, alij domū confugere: qui intus es-  
 sent, foras exire: triremes nonnulli, quibus periculum ma-  
 ximè se effugere posse putabant, deducere. Nemo planè  
 erat, qui quasi capta ab hostibus urbe, extrema omnia nō  
 metueret. Eteonicus in promontorium proximū, Anaxi-  
 hius ad mare cōfugit, ac piscatorio nauigio circumuectus  
 in arcem ascendit, atque inde ex Chalcedone auxilios  
 accersit: neque enim quod erat in arce præsidium, Græco-  
 rum impetum sustinere posse uidebatur. At milites cū  
 Xenophontem uidissent, ad eum frequentes accurrunt,  
 Ac nunc, inquit, tibi Xenophon uirtutis declarandæ

tempus datum est. Urbem, habes, habes classem, habes pecuniam, habes uiros tam præstantes: nunc si uelis, & nos tu subleuare, & te nos magnū & gloriosum reddere possumus. Ad hæc ille: Præclarè, inquit, dicitis, atq; ita faciã: sed si id ut faciã cupitis, redite quamprimum cum armis in suos uestrūm quisq; ordines. Hoc ego consilio dixit, ut concitatã multitudinem à tumultu ad officium reuocaret. Ac dimisit quidem qui milites monerent, ut in ordines redirent: atque illi statim per se suūm quisq; locum occuparunt. Grauis armatura in quinquagenos dispersita est: petati utrunque cornu statim tenuerunt. Urbis regio in qua constiterunt, cui Thracius campus nomẽ est, ad aciem instruendam omnium maximè idonea, ut quæ plana sit & domibus uacua. Tumultu iam compresso, Xenophon multitudine ad concionem uocata, in hunc modum loquutus est: Quòd irascimini milites, ac planè quòd decepti fueritis, acerbum & iniquū ducitis, nihil sanè miror. At si iracundiæ obsequentes, & ex Lacedæmonijs eos qui nunc adsunt, ab illis delusi ulciscamur, & ciuitatem nulli affinem culpæ diripiamus, quæ consequutura sunt, certè pro uidere debetis. Primum enim effugere nullo pacto possumus, quin à Lacedæmonijs & eorum socijs hostes publicè iudicemur. Qua uerò conditione bellum cum illis gesturi simus, non erit difficile existimare, si nostrum hunc statum cum superioribus temporibus contulerimus. Nos Athenienses, bellum contra Lacedæmonios suscepimus, cum triemes partim iam deductas, partim in armamētarijs haberemus, haud minus quàm quadringentas: pecunia uerò & ex ærario abundè suppeditaret, & ex uectigalibus quam aut populares, aut externi penderent, an-

nua talenta mille caperemus. Iidem insulis ferè omnibus  
 imperaremus: urbes quoque in Asia multas, & in Euro-  
 pa cum alias, tum hoc ipsum, ubi nunc sumus, Byzantium  
 teneremus. Debellati tamen sumus, uti planè omnes sci-  
 tis. Hoc autem tempore quorsum euasuros conatus no-  
 stros putatis, quo Lacedæmonij cum Achæis societate cõ-  
 iuncti sunt? Atheniensium uerò ac omnium, qui socij illis  
 antè fuerant, res propè sunt afflictæ, ac perditæ? Tissa-  
 phernes & ceteri, qui maritimæ oræ imperant, nobis ho-  
 stes sunt, ac omnium maximè superioris Asiæ rex, cui &  
 imperiũ & uitam simul ereptam uoluimus. Hæc cum no-  
 bis simul omnia aduersentur, quis est tam rerum omnium  
 imperitus, qui nos incolumes hinc euasuros existimet? Ne  
 per deos immortales insaniamus, ne turpissimè nos perdi-  
 tum eamus, ipsis propè parentibus atq; amicis ac necessa-  
 rijs nostris bellum inferètes. Et cogentur illi quidem, unà  
 cum suis eorum quisque ciuitatibus, contra nos arma ca-  
 pere: neque iniuria. Nos enim cum nullam planè ex Bar-  
 barorum urbibus occupare uoluerimus, atq; id aliquoties  
 in potestate nostra fuerit, quamprimũ Græcorum urbem  
 attigerimus, eam diripiemus? Ego mehercule antequã hæc  
 fieri uideã, opto infra terram passuum X. millia detrudi.  
 Nunc eo uos in patriam animo esse oportere censeo, ut si  
 possitis, eos qui urbi huic præsunt, precibus & adhorta-  
 tionibus, ut officio in uos suo fungantur, adducatis. Id si  
 minus possitis, Græciæ tamen urbibus neutiquam uobis  
 interdictum esse uelitis. Ac nunc ad Anaxibium mitten-  
 dos censeo, qui doceant, in hanc urbem rediisse nos, non ut  
 iniuria quenquam lacefferemus, sed ut ab ea commodi ali-  
 quid caperemus: id si minus consequuti essemus, ut non

fraude eiecti, sed uoluntate dimissi uideremur. Idem est omnibus probatum. Mittunt igitur Hieronymum Eleum, Eurlochum Areadem, Philesium Achæum, qui cum iam abissent, in eodem adhuc loco permanentibus militibus, superuenit Cyratades Thebanus. Is non exilij causa, sed imperij cuiuspiam cupiditate Græciã peragrabat, se omnibus uenditans, qui fortè in quauis gente aut oppido, ducis operam expetissent. Accedens itaq; se paratum dixit eos deducere ad Delta Thraciæ regionem, è qua multa essent eis, quæ ad usum ualde expeti solent, præstò futura: interea uerò se illis esculenta, ac poculenta omnia exhibiturum. Hæc auscultaunt milites: neq; minus ea quæ pollicebatur Anaxibius. Siquidem legatis responderat, si ut discederent sibi in animum induxissent, fore ut nihil eos pœniteret: se enim eos ciuitatum principibus commendaturum, & seipsum quàm posset optimè eorum cõmodis consuturum. Eo sermone adducti milites, Cyrataden exercitui præesse iubent, ac rursus extra muros exeunt: Cyratades se postridie eius diei affuturum cum hostijs, aruspice ac cõmeatibus pollicetur. Vbi illi exierũt, Anaxibius portas claudit, edicitq; quicumq; militum intra muros deprehensus esset, eum emptori se addicturum. Postero die Cyratades præstò fuit cum hostijs & aruspice. Cum eo unà uiri XX. farinam, totidem uinum, tres oleum, alliorum unus quàm poterat maximam sarcinam, item alter ceparum, cõportantes. Quæ cū in castris deposita essent, mox omnia diuisurus, sacra primũ facere insituit. Hic Xenophon accersit ad se Cleandrum, ac rogat ut per eum sibi liceat oppidum intrare, atque inde enauigare. Cleander cum redisset, Vix, inquit, impetratũ est: Anaxibius enim  
absur-

absurdum sibi dicit uideri, esse milites ad muros, Xenophontem uerò intus, præsertim uerò exulceratis seditio-  
 ne Byzantium animis. Introire tamen iubet, si in animo  
 habeat unà secum enauigare. Xenophon itaq; militibus  
 salutatis cum Cleandro introijt. Cyratades postero die  
 cum sacrum fecisset, non litauit, neq; quos attulerat com-  
 meatus inter milites partitus est. Postero uerò die cū iam  
 ad aram hostiæ adductæ essent, & cum corona astitisset  
 immolaturus Cyratades, in medium progressi Timasion  
 Dardanensis, Neon Asineus, Cleanor Orchomenius, ne-  
 gant se Cyrataden immolare passuros, nisi prius comnea-  
 tus militibus diuisisset. Ille cum ut æquabiliter omnia diui-  
 derentur imperasset, facile intellectum est, multum abesse  
 ut milites uel in unum tantum diem, ex ijs quæ attulisset  
 Cyratades, comneatus haberent: quo factum est, ut cum suis  
 ille hostijs deposito imperio discederet. Permansere in ca-  
 stris Neon Asineus, Phryniscus Achæus, & Timasion  
 Dardanensis. Hi cum exercitu profecti, in proximis By-  
 zantio uicis castra locarunt. Ibi inter duces dissideri cœ-  
 ptum. Cleanor & Phryniscus ad Seuthen transeundum  
 putabant: fuerant enim ab eo muneribus deliniti, cum eo-  
 rum alteri equum, alteri mulierem donasset. Neon ut in  
 Chersonesum cõtenderent, hortabatur. Existimabat enim  
 si in Lacedæmoniorum fines peruenisset, se uniuersi exer-  
 citus imperium obtenturum. At Timasion operam dabat,  
 ut omnes in Asiam traicerent, quòd se ita in patriam re-  
 stitutum iri putabat: neq; id milites nolebant. In hac deli-  
 berandi mora, milites partim armis diuenditis, per pro-  
 ximos uicos, ut poterant, enauigabant: partim uerò per  
 eosdem uicos diuisis, in urbes ciuibus permisti introibant,

Anaxibius cum dilabi exercitū ac dissolui intelligeret, magnam uoluptatem capiebat. Nam quod sua id maximè opera accidisset, in eo se gratiam eximiam à Pharnabazo initurum putabat. Huic cum è Byzantio discessisset, Cyzici Aristarchus, cui erat Byzantij prætura in Cleandri locum decreta, obuius factus, propèdiem Polum nauarchum, ut ei succederet, in Hellepontum uenturum nunciat. Anaxibius Aristarchum hortatur, quotcumq; è reliquijs Cyri copiarum Byzantij offendisset, omnes ut uenderet. Nam tantum absuerat ut quenquam Cleander uenderet, ut per ædes etiam inuitis dominis distributos, ægros curare uoluerit. At Aristarchus ut primum Byzantium attigit, nihilo sanè pauciores quàm CCCC. uendidit. Anaxibius cum Parium appulisset, misit qui Pharnabazum docerent, esse Byzantij quæ imperasset omnia confecta. Ille ubi resciiuit Byzantij prætorem futurum Aristarchum, Anaxibio classis imperium abrogatum, hunc sanè nihili pendit, ac quæ de Cyri copijs illi antè imperarat, eadem Aristarcho denūciat. Quod ubi animaduertit Anaxibius, Xenophontem ad se accersit, ac eum iubet qua possit arte, quamq; celerrimè ad exercitum uenire: milites aut retinere, aut iam dissipatos, quàm possit plurimos ad officium reuocare, cumq; ijs Perinthum contendere, atque inde in Asiam quamocysimè trajcere: ei & triginta remorum nauem, & epistolam dat, simulq; certum hominem mittit, qui Perinthijs iubeat, ut Xenophonti equos, quibus ad exercitum uehatur, præbeant. Xenophon celevriter classe transuectus, cum in castra peruenisset, magna cum letitia est à militibus exceptus, & eum magno sanè studio sequuti omnes sunt: eo duce è Thracia in Asiam traie-

traiecturi. Seuthes cū Xenophontem rediſſe ad exercitum audiſſet, ſtatim maritimo itinere Medoſadem miſit, qui rogaret ut cum exercitu ad ſe ueniret. Is cū omnia eſſet pollicitus, quibus hominē quamfacilimē adduci poſſe putaret, Xenophon reſpondit, id ſibi nullo pacto licere. Cū ille igitur abiſſet, milites Perinthū proſecti ſunt: quō cū perueniſſent, Neon cum DCCC. militibus, quos à reliquo exercitu auellerat, ſeorſum caſtra habuit: reliquæ omnes copiæ ſimul, atque eodem in loco, ad Perinthiorum muros conſiterunt. Ibi cū Xenophon naues cogeret, quibus in Aſiam quamcelerrimē milites tranſportarentur, ſuperuenit Ariſtarchus cum triremibus duabus. Is Pharnabazi ſtudio adductus, edicit naucleris, ne Græcos in naues recipiant: ad deinde in caſtra ueniens militibus, ne in Aſiam traiciant. At qui, inquit Xenophon, ſic iuſſit Anaxibius, & una hac de cauſa me huc remiſit. Anaxibius, inquit ille, nauarchus non eſt: ego uerò prætor hoc oppidū obtineo: quōd ſi quem ueſtrū hinc abeuntem deprehendero, in mare deiciam. Hæc cū dixiſſet, in oppidū introijt. Ac poſtero die duces ac centuriones ad ſe accerſit: qui cū ad muros iam acceſſiſſent, Xenophontem monet quidam ne introeat: fore enim ut comprehendatur, & aut eo ipſo in loco plectatur, aut Pharnabazo dedatur. Quare Xenophon audita, ceteros quidem deducit, ipſe per ſacra ſe deos conſulturum dicit: atque à ceteris digreſſus, conſuluit an permitterent, ut exercitum ad Seuthen duceret: ſiquidem uidebat minimē tutum eſſe ſe traicere, cū is qui uetaret, triremes haberet. Neque uerò ſi in Chersonesum ueniſſet, ſe illic facilimē intercludi poſſe non intelligebat, omniumq; rerum penuria exer-

citum laboraturum, ubi & prætori parère necesse foret,  
 neque commeatum quicquam habiturus esset exerci-  
 tus. Dum hæc ille agitaret, redeunt ab Aristarcho duces,  
 ac renunciant non esse se tunc admissos, sed iussos uesteri  
 redire. Ex quo magis intellectum est insidiosè ab illo agi.  
 Xenophon cum exta significassent tutum ipsi & exerci-  
 tui ad Seuthen iter fore, sumpsit Polycratem Athenien-  
 sem centurionem, atq; item accepit à ducibus uno excepto  
 Neone, singulos quibus ille fidem haberent maximam,  
 cumq; ijs noctu ad Seuthe castra contendit. Aberant ea  
 LX. ferè stad. Cum propius accessisset, turres quasdam de  
 fertas uidit, atque ex eo primum suspicatus est Seuthen  
 castra mouisse. Verùm cum fremitum quendam audisset,  
 & significantium inter se uoces, planè intellexit non a-  
 liam ob causam ignes multò ante castrorum excubias ac-  
 censos, nisi ut qui in statione essent, in tenebris conspici nõ  
 possent: contraq; quicumque accederent, per ignium lumi-  
 na facîle cernerentur. Quod cum animaduertisset, inter-  
 pretem præmisit, quem secum fortè habebat, qui iuberet  
 uigiles Seuthæ renunciare, adesse Xenophontem, uelleq;  
 eum cum Seuthe congregari. Tunc quæsierunt illi, nunquid  
 Atheniensis esset is Xenophon, atque è Græcorum castris  
 uenisset: ubi affirmatum est, cum exultatione ad Scuthe  
 accurrerunt. Neque multò post adfuerunt peltati ferè  
 CC. qui acceptum Xenophontem, eiusq; comitatũ ad Seu-  
 then deduxerunt. Continebat se ille intra ualde munitum  
 propugnaculum. Stabant circunquaque frenati equi.  
 Nam propter metum interdium equos pascere, noctu ad  
 custodias paratos esse uolebat. Aiebant enim Teren u-  
 num de huius maioribus, in illis ipsis aliquando finibus  
cum

cum magnas copias haberet, ab iisdem hostibus magna clade affectum, castris etiam exutum. Erant autem hi hostes Thyni, gens quæ una omnium ad nocturnas excursiones & pugnas aptissima ferebatur. Cum ad fores iam Græci astitissent, iubet Seuthes Xenophontem cum duobus quibus malit comitibus ingredi. Cum intromissi essent, post primos complexus & salutationes, Thracio more Græcis in corneis poculis uinum propinatum est. Aderat Medosades, qui Seuthe in legationibus ubique operam nauabat. Hic priore loco ita dicere orsus est Xenophon: Ad me Seuthe huncce Medosadem Chalcedona misisti, qui me tuo nomine rogaret, ut cum ipso unâ operam darem, ut ad te Græcorum copiæ ex Asia traicerent: quod si fecissem, gratiam te relaturum. Idem affirmabat Medosades. Rogauit Medosadem, an ita se res haberet: maximè, respondit ille. Rursus Xenophon: Cum iam traicissem è Paro, redijt in castra Medosades, ac pollicitus est, si Græcos ad te adduxissem, me non amici tantum, uerum etiam fratris loco habiturum, ac ea quæ mari proxima possideres, oppida concessurum. Quæsiuit denuò an ita secum egisset: egisse, Medosades respondit. Agè nunc, inquit, huic expone quid tibi cum Chalcedone essemus, ad ea responde- rim. Respondisti, inquit ille, exercitum Byzantium uenturum: huius rei causa, neque tibi, neque alij quicquam pendi opus esse. Vbi Byzantium peruentum esset, te à cæteris discessurum. ac planè quod dixisti, effectum etiam reddidisti. Quidnam, inquit ille, dixi, cum Selymbriam peruenisses? neesse tibi fore Periniho in Asiam traicere. Nunc igitur, inquit Xenophon, adsum, & mecum unâ de ducibus unus Phryniscus, de centurionibus uerò Polycrates.

Sunt foris præterea à singulis ducibus singuli, illis coniunctissimi & fidelissimi, præterquam à Neone Lacedæmonio. Quòd si firmam & ratam inter nos pactionem esse uis, & illos accersere iube. Ac tu, inquit Polycrates, illis dic meo nomine, ut arma deponant, & ipse etiam ense deposito cum illis unà ingredi. Tum Seuthes, nemini se dixit, qui modò Atheniensis sit, non fidem habere: ac scire se, Athenienses consanguineos esse: amicos uerò illos, & animo in se optimo esse existimare. Cùm introissent qui fuerat accersiti, quæsiuit primùm Xenophon de Seuthe, cui usui ipsi Græcorum esset exercitus futurus. Ad hæc ille inquit: Mesades mihi pater fuit, sub cuius imperio Melandepthæ fuere, Thyni, & Tranipsæ. Is è regno per Odrysorum seditionem pulsus, morbo interiit. Ego patre orbatus, apud Medocum qui nunc regnum obtinet, educatus sum. Vbi uerò adoleui, cùm ad alienam mihi mensam uiuendum esse indignissimè ferrem, ad eius solium, dum in curru sederet, accessi, meq; ad eius genua aduolui, obsecrauiq; ut mihi quàm posset magnum numerum hominum concederet, quò & eis à quibus eieci essemus, malum inferrem, si quod possem, & mihi non esset perpetuò ad alienam mensam, perinde ac canes solent, respiciendū. Precibus itaq; ille meis comotus, & milites mihi eos, & equos tradidit, quos cùm illuxerit, uidebitis: cum his ego uitam traduco, & cum his è paterno agro prædas ago: quòd si uestro auxilio uti licitū fuerit, dijs fretus, me imperiū paternū recepturū confido. Qua igitur in re uestra opera mihi usui esse possit intelligitis. Iam uerò, inquit Xenophon, si tecū societatem coierimus, nobis expone quid milites, duces ac centuriones abs te accepturi sint, ut hi qui mecum huc uenerunt,

nerunt, certi aliquid cæteris renuncient. Tum ille militibus mensurâ stipendium Cyzicenos singulos, centurionibus quaternos prætoribus pollicitus est: agri, quantum uellent, iumenta, munitû ad mare oppidû. Ad hæc Xenophon: Si periclitatus nihil effecero, & à Lacedæmonijs nobis quid fuerit metuendû, erit ne locus apud te ijs, qui huc se receperint? imò, inquit, illos fratrum loco habebò, atq; in currus mei partem recipiã, cumq; his quicquid bello partum fuerit, cõmunicabo. Tibi uerò Xenophon filiam collocabo: ac si illa tibi filia est, eam Thracia lege emã: ubi uerò habites, Bisantem tibi tradam, qui mihi locus est maritimorum omnium pulcherrimus. Cùm hæc audissent Græci, dextras iunxerunt: atq; ita firmato foedere, ante lucem in castra reuersi, ijs à quibus missi fuerant, rem omnem ordine exposuerunt. Prima luce rursus Aristarchus duces & centuriones accersit. At illi eundem neutiquam esse, ac statim milites in concionem conuocandos censuerunt. Cùm omnes, præter eos quos Neon ducebat, conuenissent, his eos uerbis Xenophon allocutus est: Iam nõ licet nobis, milites, quò constitueramus hinc enauigare. Aristarchus enim cû triremes habeat, nobis obstat, neq; satis tutò naues possumus conscendere: ac idem imperat, ut per sacrum montem in Chersonesum proficiscamur. Quòd si itineris difficultate superata eò peruenerimus, iam neq; uenditû nos, neq; uti Byzantij euenit, circumuentû iri promittit: illic enim stipendia nos accepturos: neq; causæ quicquã fore, quin commeatus in promptu nobis sint. Sic ille quidẽ affirmat. Rursus Seuthes cùm ad se ueneritis, spondet benigna uobis omnia apud se & proluxa fore. Vos itaq; uel prius quàm hinc discedatis, decernite, uel ad quærendos com-

meatus iam proficiscimini. Mihi quidem, quoniam neque pecuniam habemus, qua quod opus est mercemur, neque nobis, quæ uitæ usus postulat, ab his gratis dantur, optimum factu uidetur, ut in uicos reuersi, quæ opus sunt ab ijs sumamus, quos facîle uel cogere, uel adducere possumus, ut ea nos sinant asportare, quæ nostrum quisque ad usum suum expetit: atque id arbitrij uestri sit: cui tamen idem uidetur, is manum tollat. Manum cuncti sustulerunt. Agite igitur, inquit Xenophon, ita uos cõparate, ut cum datum fuerit signũ, statim ducem sequamini. Xenophon dux fuit, cum secuti omnes sunt, neque aut Neon, aut alij qui ab Aristarcho summissi fuerant, à proposito alios deducere potuerunt. Cum iam stad. circiter L. progressi essent, Seuthes obuius factus est, quem cum Xenophon uidisset, procedere intra cohortes Græcorum iussit, ut quæ ille diceret pro Græcorum utilitate, audirent quamplurimi. Quod cum ille fecisset, tum Xenophon: Iter, inquit, habemus in ea loca, unde milites cibaria capere possint: ibi cum à te & à Lacedæmonijs propositas condiciones audierimus, id sequemur quod ex usu maximè fore uidebitur. Quòd si nobis tu ad commeatus comparandos dux extiteris, planè hospitaliter nos acceptos existimabimus. Ad hæc Seuthes: Possum, inquit, indicare uobis uicos multos, densos & rerum omnium copia abundantes, à nobis eatenus distantes, ut hinc digressi illic suauius prandere possimus. Eò duc igitur nos, inquit Xenophon. Quod cum ille fecisset, uesperis quò ille dixerat peruentum est: cumq; in unum milites conuenissent, in hunc modum Seuthes loquutus est: Ego uestra opera Græci, in bellicis rebus indigeo: quam mihi si præstiteritis, singulis Cizycenum

num unum militibus dabo menstruum stipendium, ac centurionibus & ducibus quod æquum est. Ad hæc unicuique pro merito & dignitate honorem habebō. Cibaria quidem uobis ex agro, uti nunc, suppeditabunt. Quæ capietis reliqua, ea ut penes me sint, æquum esse statuo, quò ex ijs uobis stipendia pendam. Accedentes sanè & fugientes, satis idonei erimus, qui persequamur atque inuestigemus: sin erunt qui resistent, eos uestro auxilio fretus, ut in potestatem meam redigam, operam dabo. Tunc Xenophon: Quàm longè, inquit, à mari, ut hic te exercitus sequatur, postulas? Nusquam, respondit ille, longius, quàm septem dierum itinere, sæpè uerò multò minus. Facta est deinde potestas omnibus qui uellent, dicendi. Dixerunt itaque multi, quantiuis æstimanda quæ Seuthes dixisset. Hyemem iam esse, neque idoneam ad nauigandum tempestatem. Hybernare in amicorum finibus minimè expedire, ubi non nisi de rebus emptis exercitus alii posset. In hostili uerò agro statiuā habere, ac sibi commeatus comparare, in magna rerum copia, multò fore tutius unā cum Seuthe, quàm si ab eo discesserint. Quòd si stipendium etiam ab eo accipiant, lucrum uideri. His auditis, si quis, inquit Xenophon, est, qui his uelit contradicere, dicat iam is licet: sin his omnes assentimini, sciscite. contradixit nemo. Scitum igitur factum est. Tunc Seuthes sibi illos dixit in bellicis expeditionibus socios fore. Post hæc alij quidem in ordines descripti, castra posuerunt: centuriones & duces ad cœnam uocauit Seuthes, cum non longè ab uno de proximis uicis abesset. Interea dum ad fores omnes astarent, ut cœnatum intrmitterentur, adfuit Heraclides quidam Maronites: is ad eos, quos aliquid

habere existimabat, quod Seuthe dare possent, accedebat, ac primum quidem ad Parianos, qui ea de causa uenerant, ut cum Medoco Odrysorum rege de pace agerent, ac cum ei tum uxori eius dona attulerant: Quid, inquit, Medoco ista potius dabit, qui à mari duodecim dierum itinere abest? cur non potius Seuthe, qui hoc iam sibi adiuncto exercitu maritimæ oræ quamfacilimè imperiū obtinebit, ac uobis uel prodesse, uel obesse tam finitimis, plurimum poterit? Quin uos huic quæcunq; affertis, si rebus uestris bene consultum uolueritis, non ei dabit, qui longissimè à uobis abest. Et sanè, ut ita facerent, persuasit. Ad Timasionem deinde Dardanensem cum accessisset, quem audierat & pocula, & Barbaricos tapetas habere: Ita, inquit, more maiorum traditum est, ut qui à Seutha inuitantur, pro copijs suis ei dona dent: hic certè si imperiū suum auxerit, facile aut domū te reducere, aut si hic manere malueris, te locupletare possit. Hæc separatim cum singulis agebat. Ad Xenophōtem etiam cum uenisset, Ex magna, inquit, tu ciuitate es, et percelebre tuum est apud Seuthen nomen: & forsitan & oppidum & agrum (ut antè etiam de maioribus tuis nonnulli) in regione nostra uoles habere: per igitur æquum est, luculenter Seuthen à te ornari: atque hæc tibi amicus, ut qui maximè, suadeo: mihi enim persuasum habeo, quò illi maiora dederis, eò te ab illo maiora, ac præclariora accepturum. Hic Xenophon quid ageret dubitabat: è Pario enim soluerat cum unico puero, neque plus pecuniæ habebat, quàm pro uiatico esset. Cum iam essent omnes ingressi ad coenam, è Thracibus qui tunc aderant, nobilissimus quisque, duces deinde ac centuriones Græcorum, & à quacunque ciuitate missæ legationes, in orbem

orbem accubere. Sunt omnibus tripodes appositi, nō pauciores quā XX. carnibus refertissimi: & cum carnibus confixi panes fermentati, prægrandes. Hospitibus autem præ cæteris, mensæ patrio ritu apponebantur. Seuthes primus omnium appositos sibi panes in frustra discidit, atque eos quibus visum est proiecit: eodem modo & carnes à se duntaxat prægustatas. Atque itidem cæteri, quibus mensæ appositæ fuerant, fecere. Erat in eo cōuiuio Arcas quidam, Aristus nomine, edacitate maximè insignis: is ritum illum dissipandi, ac distrahendi cibaria, nihil ad se pertinere arbitratus, ingenti pane correpto, carnemq; multa genibus imposita, epulabatur. Cumq; uini cornua, quæ circumferebantur, omnes à pincerna accepissent, ac iam Xenophon epulari defisset, Aristus, illi, inquit, propinato: cessat enim iam, ego uerò neutiquam. Eam uocem cum audisset Seuthes, de pincerna quæsiuit, quid ille diceret: id cum indicasset, Græcè enim aliquid sciebat, risus est ab omnibus consecutus. Cum omnes iam potu exhilarati essent, introijt Thrax quidam album equum ducens, sumptoq; uini pleno cornu, Tibi, inquit, propino Seuthe, atque hunc equum dono do, super quo & quencūq; uolueris facile assequere, ac si retrocedere cōtigerit, à tergo relictum hostem non metues. Alius puerum, eodem modo propinans, dedit: uestimēta alius, ad uxoris usum. Timastion argentæa phialam, & tapetium, non minoris precij minarū X. Surrexit hic Gnesippus Atheniensis, ac, Prisca, inquit, lege, qui habent, regi dona dant: qui non habent, eos à rege æquum est accipere, ut ego quoque inquit habeam quo te donem atque honorem. Hæc ille. At Xenophon quid agendum sibi esset, uehementer dubitabat. Sedebat ille

quidē in proxima regi, atque adeò honoratissima sella. Et Heracledes pincernā ut cornu ei præberet monuerat. At ille cū ante accumberet, poculo sumpto alacriter surrexit: Et tibi ego, inquit, Seuthe, me ipsum, & socios hosce meos amicos trado atque dedo, & eorum neminem inuitum: nemo est enim qui non æque atque ego à te gratiam studeat inire, tibiq; amicus esse cupiat: ac nunc adsunt, ut gratis tua causa & labores suscipiant, & pericula adeāt: quorum auxilio, dijs fauentibus, & patrium regnum recipies, & alienos etiam agros imperio tuo adijcies, multos præterea equos, uiros, scēminas in potestatem rediges: è quorum finibus nihil erit necesse prædas agere: ipsi enim tibi ultro dona afferent. Tunc Seuthes ex prouocatione bibit, & de more cornu in eum qui proximus erat, effudit. Post hæc Cerasuntij ingressi sunt, qui tibijs, tubisq; è bubulis osibus, in numerum, ut qui magade canunt, signum dedere. Ad eum cantū primus omnium Seuthes excitatus, bellicum quiddam uociferatus est, ac peragiliter uitantis iaculum gestum egit. Adfuerunt etiam saniones. Sole uero iam cadente, surrexerunt Græci, ac Seuthen monuerunt tempus esse excubias disponendi, ac tesseram dandi: rogarunt etiā ut ediceret, ne quis è Thracibus noctu in Græcorū castra intraret: quòd sanè de fide illorum nihil se dubitare dicerent, quanta uero Thracibus habenda esset, nondū se scire. Cum Græcis unā surrexit Seuthes, nulla ebrietatis signa præ se ferens: atq; exiens, ducibus ad se uocatis, Nondum, inquit, hostes de nostra societate quicquam rescuerunt: quòd si eos adorti fuerimus, antequam aut sibi caueant, aut auxilia contra nos comparent, facile & prædam multam agere, & homines quamplurimos

plurimos capere possumus. Id est ducibus uehementer probatum, ac se ut duceret, rogarunt. Vos igitur, inquit ille, parati ad rem gerendam, me expectabitis: ego cum tempus idoneum uisum fuerit, ad uos ueniam, ac cum cetratos assumpsero, dijs fretus, uobis me ducem præbebo. Tunc Xenophon: Atenim, inquit, cōsideres uelim, nunquid si de nocte nobis iter faciendum sit, præstet Græco more agmen instruere: nam si de die eundum, ex locorum duntaxat ratione, aut grauē armaturā, aut peltatos, aut equitatum præire oportet: de nocte uerò cum iter suscipitur, Græco ritu impeditissima quæq; exercitus pars agmen ducit: sic enim minimè agmen diuiditur, neq; facile, qui fugam cogitent, alios latere possunt: & profectò sæpe accidere consuevit, ut dissipati per errorem in suos inuadant, ac magnæ utrinque offensiones fiant. Rectè, inquit Seuthes, dicis, ac uestro istî instituto parendū censeo. Vobis itaque duces homines natu maximos, & eosdem locorum peritissimos dabo: ego postremus cum equitatu consequar, ac cum opus fuerit, quæcelerrimè ad principia præstò ero. Tesseram Athenienses cognationis ius dedere: atque his ita constitutis, quietè corpora curarunt. De media uerò nocte præstò fuit Seuthes, secumq; loricatos equites adduxit, & cetratos suis armis instructos & ornatos: ubi æditi duces sunt, grauis armatura agminis primam partem, secundam cetrati tenuerunt: equitibus tergi custodia mandata est. Vbi uerò illuxit, Seuthes in frontem agminis promouit, ac Græcorum institutum magnopere collaudauit: Sæpe enim se nocturnis itineribus in paruo agmine, cum equitatu, à pedestribus copijs aberrauisse. Nunc uerò ita, uti maximè opus est, uniuersi prima luce eodem

in loco consistimus: sed enim quantisper ad uos aliquid speculatus redeo, hic requiescite. Ac statim uiam montanam ingressus, cum niuem multam offendisset, ad hominum maxime uestigia attedit, auersa ne illa essent, an aduersa. Vbi uiam uidit minimè tritam, ad suos reuersus, Rectè, inquit, modò dii faueant, omnia: homines, mihi credite, opprimemus. Sed procedam cum equitatu, ut si quem fortè in uia uidero, eum antè comprehendendum curem, quàm hostibus quicquam significet: uos consequimini: ac si fueritis à tergo relictì, uiam uobis equorum uestigia monstrabunt. certè his montibus superatis, in uicos perueniemus multos & opulentos. Hora ferè sexta iam erat, cum ipsa montium iuga tenebat: unde cum uicos despiceret, incitato equo ad grauem armaturã uenit: ac immittam, inquit, equitem in campos, peltatos in uicos: uos uelùn quam celeritè consequi, ut si qui resisterint, opem feratis. Hec cum Xenophon audisset, ex equo statim desiluit. Ad quem Seuthes: Quid tu, inquit, descendis, cum sit accelerandum? Scio, inquit ille, te non mea unius opera indigere. Grauis uerò armatura multò maiorem celeritatem suscipiet, cùm me etiam ipsum pedestrem agmen ducentem uiderit. Cum eo profectus etiam Timasion, cum Græcis equitibus circiter LX. Xenophon ijs, qui annorum L. minores essent, imperauit, ut à centurionibus digressi, expediti in primū agmen transirent: ac cum his ipse raptim aduolauit. Cleonor Græcos ducebat. Vbi in uicos peruentum est, recurrens cum L. haud amplius equitibus Seuthes: Ita, inquit, est, uti antè dixisti Xenophon: equites longè iam à nobis abierunt, ac soli huc illuc excurrunt: illud uerò metuo, ne hostes globo facto eos inuadant. Oportet itaque uestrum partem

partem aliquam, circa hos uicos in præsidijs esse: sunt enim hominib. refertissimi. At enim ego, inquit Xenophon, cum meis iuga occupabo: Tu uerò Cleanora iube per campos phalangem in uicos extendere. Cum id ita factum esset, capti sunt homines non pauciores quàm M. boues bis mille, ouium propè X. millia: ac tunc quidem ibi pernoctarunt. Postero uerò die Seuthes cum uicos totos exuri iussisset, atque ita ut nulla domus reliqua fieret, ut cæteri, nisi paruissent, quid metuendum sibi esset intelligerent, pedem retulit, ac prædam Heraclide tradidit, ut eam Perinthi uenundandam curaret, quò ex ea pecunia, quæ inde coacta esset, stipendiũ militi dissolueretur. Ipse cum Græcis in Thynorũ campis castra posuit. Ex hostibus qui eua- dere potuerant, in montes confugerant. Erat in illis locis niuis magna uis, ac frigus adeò uehemens, ut quam ad cœnam ferebant aqua, quin & in dolijs uinũ congelasceret, multis etiam Græcorũ nares & auriculæ solo tactu præ rigore auellerentur. At tunc planè nostris est intellectum, quam de causa Thraces uulpiũ pellibus capita, ad imas usq; aures uelarent. Sed ijdem non solum pectora, sed femora etiam tunicis muniunt: atque in equis sedentes, talaribus lacernis, non chlamydibus utuntur. Seuthes quibusdam è captiuorum numero in montes dimissis, iussit illis, qui illuc confugerant, renunciare, nisi in pristinas sedes quamprimum redissent, ac se in eius potestate dedissent, se uicos eorum inflammaturum, corruptoq; omni frumento, fame eos necaturum. Fecit hic nunciũ ut mulieres tantum, pueriq; ac seniores descenderent: iuniores uerò in uicis, qui sub monte erant, confederunt. Quod cum Seuthes rescisset, Xenophontẽ iussit cum ualentissima grauis

armaturæ parte se sequi. Nocte è castris egressi, cū prima luce in uicos uenerunt. Ex illis uerò quamplurimi diffugerant in proximos montes: quicūq; deprehensi sunt, eos omnes iaculis Seuthes confixit. Erat in Græcorum exercitu Episthenes quidam Olynthius, puerorum amator: is eximia pulchritudine puerū, tunc primum pubescentem, pelta tum primum armatum conspicatus, cū propè iam esset ut occideretur, Xenophontem obsecrauit, ut puero tam pulchro auxilio esset. Et ille quidem deprecatione suscepta, primum Seuthen docuit, Episthenem ijs moribus hominem esse, ut non aliam ob causam aliquando centuriam unam conscripserit, nisi ut eorum qui forma præstarent, delectum haberet, ac uirtutis unà cum illis documenta daret. Tunc Seuthes ad eum cōuersus: Quid tu, inquit, Episthene, inducās ne tibi in animū, ut pro isto moriare? Tunc ille iugulum ostentans, Feri me, inquit, si ita puer iubet, atq; id est gratum ei futurum. Puerū deinde rogauit, nunquid hunc uellet pro se cedi? at ille negans, pro se ac pro illo simul deprecabatur. Hic Episthenes cū puerum dono accepisset, iam paratus, inquit, sum, si ita res ferat, pro hoc certare, neq; ego hunc unquam dimittam. Subridens Seuthes, hæc omisit. Statuit autem castra eo ipso in loco ponere, ne, qui se in montes recepissent, ex illis uicis ali possent: ac ipse quidem plano loco tabernacula sua constituit. Xenophon cum lectissimo quoque in supremo qui erat sub monte, uico, alij uerò Græci in montanis (sic enim appellantur) Thracijs, non longè à cæteris. Quibus in locis cū dies paucos cōmorati essent, ex montibus ad Seuthen legati uenerunt, tanquā de conditionibus et obsidibus acturi. Atq; eodem tempore Seuthen Xenophon  
monuit,

monuit, non esse satis bono loco castra locata, quòd ea facile possent tam propinqui hostes inuadere: ac certè suis se potius munita loca, quam angusta deligenda, in quibus non longè à summo periculo abessent. Iubet Seuthes eum bono animo esse, ac simul obsides ostendit. Nonnulli etiam ex ijs, qui è montibus descenderant, Xenophontem ipsum rogare coeperunt, sibi ut conditiones conficeret. At ille ita se facturum spondit, in suamq; eos fidem recepit, nihil omnino affirmans incòmodi passuros, si Seuthæ se dedissent. Verùm illi ut specularentur uenerant: nocte enim ea quæ diem, quo hæc acta sunt, consecuta est, Thyni impetu factò nostros adorti sunt. Duces erant domorum singularum domini, quòd alij in uicis, domus per tenebras agnoscere non potuissent. Domus ipsæ firmissimis erant uallis ad pecoris custodiam circumseptæ. Ad earum tunc fores cùm uentum esset, alij misilia intrò iaciebant: alij lora quædam, ac tanquam scuticas uibrabant, quibus ad præcidendas hastarum cuspides utebantur. Erant qui faeces immitterent: ac Xenophontem quidem, eum nominatim appellantes, exire iuebant ad necem, aut se illum intus crematuros minabantur: ac iam ad culmen ignis euaserat, & qui sub tecto erant, cum Xenophonte loricas & galeas ceperant, cùm Silanus Macestius, adolescens annos natus decem & octo, tuba signum dedit: quo audito, repente ex omnibus tugurijs districtos enses tenentes Græci eruperunt: Thraces uerò, qui ipsis mos est, in fugam se dederunt, peltis in tergum reiectis: & ex illis non pauci, qui uallum ascenderant, peltarum loris implicati, de ualli sudibus pependerunt: alij, cùm in tanta trepidatione exitum non reperirent, occisi sunt. Græci fugientes ultra ui-

cum insecuti sunt: contra quos Thynorū quidam conuersi, in tenebris, nonnullos qui ardentem domum prætercurrerant, uulnerarunt, missilibus ex tenebris in lumē iactis, & inter Hieronymū Enodiam, & Locrensem Theagenem, centuriones: uerū nemo perijt. Multorum arma igni consumpta. Et Seuthes quidem cum equitibus tantum septem auxilium laturus uenit, ac secum tubicinem Thracium adduxit. Vbi in cōspectu fuit, quādiu auxiliatus est, tamdiu cornua cecinerunt: quæ res hostibus magnum terrorem iniecit. At ille Græcos cōplexus, se timuisse dixit, ne multos cæsos reperiret. Hic Xenophon rogat ut obsides sibi tradat: ac se pollicetur cum illo ad montem oppugnandum profecturū: sin minus, eò se mitti postulat. Postero die Seuthes obsides tradidit, grandiores natu homines, quos omnibus montis incolis aiebant dignitate præstare: ac ipse etiam est cum copijs suis profectus. Habebat iam Seuthes exercitum triplo maiorem. Ex Odrysis enim multi fama rerum à Seuthe gestarum commoti, ut eius essent expeditionum participes, descenderant. At Thyni cum grauem armaturam tantam, tamq̃ multos peltatos & equites uidissent, supplices pacem petere, & se imperata facturos polliceri, ac ut à se pignora fidei acciperēt, rogare. Quare Seuthes accersit Xenophontem, atq; ei exponit quæ illi attulissent: seq̃ negat ullo pacto pacem petentibus daturum, si statuisse ipsum intelligat, impetū, quem illi paulò antè fecerant, ulcisci. Atqui, inquit Xenophon, mihi hercule satis magnas pœnas dederint, si qui liberi antè fuerunt, in seruitutē redigantur: censere tamen se, ab illis obsides accipiendos: atq; eos in primis, qui ad faciendam iniuriam instructiores, ac paratiores esse uiderentur: seniores

niores uerò domi relinquendos. Horum illi nihil recusarunt. Hinc ad Thracas, qui Delta incolunt, quæ regio supra Byzantiū est, transeunt. Iam locus hic ad Medosadæ imperium nihil attinebat: nam ueteris cuiusdam Terei Odrýsorum regis ditione continebatur. Hic Heraclides cum pecunia de manubijs adfuit: & Seuthes cum iugatoria iumentorum, quòd plura non habebat, bouum uerò alia produxisset, ut à se dona ea acciperet, Xenophontem rogat: alia uero quæcunque, ut prætoribus & centurionibus diuidat. Hæc Seuthæ offerenti, respondet Xenophon, satis sibi fore, si alio tempore accipiat, in præsentia, inquit, ista ducibus & centurionibus, qui me huc secuti sunt, donato. Accepit itaque Timasion Dardanensis iugum unum, unum Cleanor Orchomenius, unum Phryniscus Acheus: bouum uero iuga inter centuriones partitus est. Cumq; iam mensis exisset, XX. duntaxat dierum stipendium pendit. Heraclides enim se de præda nihilo maiorem pecuniam coëgisse affirmabat. Quare Xenophon commotus, Heraclide, inquit, non uideris mihi satis diligenter, quæ ad Seuthæ utilitates pertinent, curare: attulisses enim tu quidem stipendium integrum, ac si aliter non potuisses, uel scenori accepta pecunia, aut ipsis tuis uestimētis diuenditis. Hæc oratio uehemēter Heraclidæ animum offendit, cū non parum metueret, ne ex eo amicitie loco, quem apud Seuthen obtinebat, deturbaretur. Exinde itaque quàm potuit maximè Xenophontem coepit apud Seuthen insimulare. Milites cum Xenophonte exposculabant, quòd stipendio fraudarentur. Seuthes ægrè ferebat se toties ab eo appellari. Atque hætenus quidem semper erat solitus dictitare, se ubi ad ma-

re uenisset, Xenophonti traditurū Bisantem & Ganon,  
 & nouū murum. Sed ab eo tempore, nihil iam eorum cō-  
 memorabat. Nam & illud Heraclides, quò Xenophontē  
 in suspicionem & inuidiā adduceret, dictitabat, nō esse sa-  
 tis tutū in potestatem hominis exercitū habentis, munita  
 loca tradere. Quæ res effecit, ut Xenophon deliberādum  
 sibi putaret, an persisteret in ea societate. Heraclides inte-  
 rea duces alios ad Seuthen adducit, ijsq; persuadere cona-  
 tur, ut profiteantur se in exercitu ductando, nihilo quàm  
 Xenophontē imperitiores fore: ac se illis intra dies pau-  
 cos pollicitus est, mercedem duū mensium curaturū, ma-  
 nerent modò in officio. Ibi Timastion omnium primus: Ego  
 uerò, inquit, ne si mensium quinque stipendium capiā, sine  
 Xenophonte, ut in societate hac permaneā, adduci pos-  
 sum. Ac se idem in animo habere Phryniscus & Cleanor  
 affirmarūt. Tunc Seuthes Heraclidem obiurgauit, quòd  
 Xenophontem nō accersisset. Accersitur itaq; unus Xe-  
 nophon: qui cum Heraclidem intelligeret operā dare (ut  
 erat malitiosus) ut sibi apud cæteros duces inuidiam con-  
 flaret, uenit cum ducibus & centurionibus: quibus cum per-  
 suasum esset ne à Seuthe deficerent, castra mouerunt, ac  
 primū ad dexterā, regione relicta eorū Thracum qui Me-  
 linophagi (id perinde est, ac si panico uescentes dicas) ap-  
 pellantur, Salmydessum peruenērūt. Ad ea littora è mari,  
 in breuia & quasi æstuaria quædā impactæ naues quā-  
 plurimæ, in Pontū uenientes, frangūtur: eas Thracæ præ-  
 dantur, diuisis inter se littoribus, columnis per interualla  
 erectis: nam antequam id fieret, de præda inter eos cædes  
 plurimæ fiebant. Ibi lecti multi, et arcæ item multæ reper-  
 tæ sunt: multæ papyri, & alia multa, quæ in ligneis uasis  
 repo-

reposita nauiculatores habere consueuerūt. His omnibus direptis abierunt. Iam copias Seuthes Græcorū exercitiū maiores habebat: ex Odrysis enim longè plurimi descenderant, qui omnes Seuthæ fidem secuti sunt. Castra supra Seymbriam habebātur, in campis qui à mari absunt quinquaginta circiter stadia: stipendium omnino nullum pendebatur. Et milites Xenophonti succensebant, quòd ab eius familiaritate & consuetudine iam Seuthes refugere uidebatur: nam ad eum quoties ueniret, se ille negocijs distineri causabatur. Interea cū iam menses duo abissent, Charminus Laco, & Polynicus à Thimbrone missi, nunciant decreuisse Lacedæmonios bellū Tissapherni inferre. Iam cum classe profectum Thimbronem, qui exercitum inuitaret, menstruum stipendium militibus singulis Daricum pollicens, centurionibus duplicatum. Quod ubi Heraclides cognouit, Seuthæ suadet, conducere eum exercitū tradere Lacedæmonijs. Illi, inquit, eo indigent, tibi nihil opus est: & sanè illis non parum gratificabere. Stipendiū uerò hi abs te non exigent: quamprimum enim è nostris finibus decedent. His ille persuasus iubet legatos introduci, ac legatione audita, statim se exercitū illis tradere respondit, amicumq; se & socium Lacedæmoniorum futurum. Legatos etiam hospitaliter inuitatos accepit magnificè, neque Xenophontem aut aliorum ducum quenquam uocauit. Cum autem Lacones quæssissent, qui uir esset Xenophon: respondit ille, non omnino malum esse, sed militum amantiorè ferè quàm opus esset, ac sibi propterea minus utilem. Nunquid, illi inquirunt, popularem se militibus præbet? Vnus omnium maximè, respondit Heraclides. At illud uerendum est, dicunt illi, ne hunc nobis exercitum abdu-

cere cupientibus, aduerfetur. Verū, inquit Heraclides, illis uos in unum congregatis ſtipendiū ſi promiferitis, Xenophonte non magnifac̄to, uos proculdubio ſequentur. Sed quonā poſſint modo congregari: inquit illi. Cras, reſpondit Heraclides, uos ad eos deducam: neq; dubito quin ſimulac uos uiderint, concurſuri ſint. Et his quidem ſermonibus dies exemptus eſt. Poſtero uerò die à Seuthe & Heraclide deducti ſunt ad exercitum legati. Cum in unum omnes cōueniſſent, Lacones duo his uerbis locuti ſunt: Lacedæmonijs uiſum eſt bellum Tiſſapherni inferre, à quo iniuriam acceperunt: uos nobiſcum ſi ſocietatem coieritis, & cōmunem hoſtem ulciſcemini, & Daricum ueſtrū unuſquiſq; menſibus ſingulis capiet, centuriones uerò duplum, quadruplū duces. Hæc milites audierūt ſanè quālibenter. Ac ſtatim ex Arcadibus quidam ſurrexit, & Xenophontem acerbè cœpit accuſare. Aderat Seuthes: ut planius enim cognosceret quorſum res euaderet, propius acceſſerat, & eo loco conſtiterat, adhibito interprete, è quo facilè omnia poſſet audire. Sed multa etiam Græcè ſciebat. Arcas ita locutus eſt: Nos iam pridem ad uos ueniſſemus Lacedæmonij, niſi Xenophontis oratione indueti huc diuertiffemus, ubi & hyemem importuniſſimam, & aſperrimam egimus: et militaria munia obeuntes, neq; diem, neq; noctem unam quieuiſimus. Ille uerò fructus noſtrorum laborum præripit, & cum ſanè Seuthes donis expleuit, nos noſtro ſupendio fraudat. Quòd ſi, idem inquit, lapidibus illum obrutum, & pœnas pro eo quòd nos tandiu uexauit, dantem uideam, planè integram mihi uidear mercedem accepiſſe, neq; erunt, quæ paſſus ſum, ulla ex parte amplius grauiā. Surrexit deinde alius, & ſubinde alius.

alius. Quibus commotus Xenophon, sui purgandi causa ita locutus est: Nimirum nihil est quod homini metuendum non sit, cum eas uos mihi res crimini esse uelitis, in quibus mihi conscius sim, cura studioq; summo, uestris rationibus quamoptime consultum uoluisse. Diuertere ego uobiscum, cum iam nihil, quam domum redire mallet: non sane quod existimarem posse me uos magno aliquo beneficio afficere, sed cum urgeri uos rerum omnium penuria uiderem, ut uos qua possem ope subleuare. Ac cum per nuncios Seuthes hicce me sollicitaret, ac mihi quiduis polliceretur, si ut uos ad se ueniretis effecissem, testes uos ipsi esse potestis, non potuisse me adduci. Deduxi igitur uos eum in locum, unde quamfacilime in Asiam traicere possentis: quod maxime uobis conducere existimabam, & uos esse in eam partem propensiores cognoscebam. Verum cum Aristarchus cum triremibus uenisset, ac nos traicere uetuisset, ad uos ego, sicuti res postulabat, de eo quod faciendum esset retuli. Quo tempore cum Aristarchus, ut in Chersonesum ueniretis imperaret, ac Seuthes ad societatem inuitaret, nonne dixistis omnes ad Seuthem eundem, atque id uestris etiam sententijs declarastis? Dicite igitur obsecro, inquit, nunquid ego eo uos laeserim, quod uestrae uoluntati obtemperans, uos, quod ipsi manime uoluistis, duxerim? Postea uero quam Seuthes, neglecta quam dederat fide, coepit uos mercede fraudare, si mihi eius factum probatur, iure uos quidem & accusatis me, & odio habetis: sin contra ab eo nunc maxime cui sui coniunctissimus, disideo, quam de causa: qui in uestra esse, quam illius potestate malim, nunc a uobis in inuidiam & crimen rapior? Quod si illud dicitis, posse me stipendijs uestris

interuersis, in causa uestra apud Seuthen præuaricati: illud certè perspicuū est, quod si quid mihi Seuthes pendisset, non posset utiq; ferre, ut et eo careret, & insuper aliā uobis pecuniam penderet: pendisset enim ille, ut minore mihi pecunia data, tanto maiorem uobis non daret. Quòd si aliter existimatis, si mercedem uestram nunc à Seuthe exegeritis, facile utriusque nostrum artem reddetis irritam. Quis enim dubitet repetiturū à me Seuthen quæ dederit, si pactus quod fuerim, precio corruptus, ei nō præstitero? Sedenim multum abest, ut uestra ego uos mercede fraudarim: ac per deos omnes deasq; iuro, Seuthen neque ea mihi dedisse, quæ priuatim promiserat: adest ipse, atque hæc audiens, si mentior, perturij me tacitus condemnat. Ac quod magis miremini, illud etiam adiuro, minus me multò accepisse, quàm cæteros duces, ne dicam quàm de centurionibus nonnulli. Quæ uerò me res, ut id facerem adduxit? Existimabam, quò eum magis in aduersis rebus iuuissim, tanto fore mihi in sequendis amiciorem. Sed simul eius & res secundas uideo, & animum cognosco. Quid igitur, dicat aliquis, non erubescis cū te sentis tam fuisse improuidum, ut ludibrio te habuerit? Ego uerò plane erubescam, si ab hoste me deceptum sentiam. Verum quicumque sub amici nomine alterum fallit, is, meo iudicio, multò est, quàm qui fallitur, turpior. Nam si qua est aduersum amicum cautio, eam uos sedulò adhibuisse satis scio, ne causa ei esset, quamobrem ea uobis non daret quæ promississet: neque enim hunc nos aut læsimus quicquam, aut ullo per ignauiam nostram detrimento affecimus, neque ullum, quod ipse nobis proposuerit, certamen refugimus. Verūm dicatis fortasse, pignora fuisse postulanda, ne

nos posset cum uellet fallere. Ad hæc auscultate: quæ sanè reticuissem, nisi uos aut minus peritos rerum iudices, aut meorum erga uos meritorum inmemores cognouissem. Recordamini quo loco res uestræ essent, cum uos ad Seuthen deduxi. Perinthum cum intrare uelletis, non patiebatur Aristarchus: qui oclusis portis, uos sub diuo, hyme summa, statua habere cogebat: foro uero eo utebamini, in quo prætenues erant copiae, neq; uobis unde emeritis, quæ opus erant, ualde suppeditabat. Necesse uerò erat in Thracia permanere: triremes enim excursionibus assiduis, quò minus traiceremus obstabant. Quòd si statua in hostili agro habuissemus, in quo erat magnus equitum numerus, magnus etiam peltatorum, cum grauem tantum nos armaturam haberemus, potuissemus fortassis uniuerso agmine in uicos inuadere, & inde non ita multum comeatuum quarere. At cum neque equitatum, neq; peltatos ullos à uobis accepissem, neq; persequi, nec retinere, uel homines, uel pecora potuissemus. Tam dubijs igitur rebus, si uobis gratis Seuthen conciliaui, hominè & equitum & peltatorum copijs ualde instructum, uideor, uestram fidem obtestor, uobis ego male cõsuluisse? Vos certè dum eius societate usi estis, & frumenta in uicis, quos effuse fugientes præ metu Thraces deseruerant, reperistis, & pecoris ac mancipiorum participes fuistis. Præterea posteaquã equestres copias habere cœpimus, nulli nobis hostes in conspectum uenerunt, cum antè nos & equitatu, & peltatorum suorum globo acriter urgerent, semperq; impedimento essent, quò minus parua manu largiores uobis cõmeatus acquirere possetis. Is igitur, per quem hanc estis securitatem cõsecuti, quòd magnam præterea uobis

mercedem non penderit, quasi uos magna aliqua calamitate affecerit, ad necem deposcitur? Considerate uerò quæ futura fuisset abeundi facultas, nisi hyemem in summa rerum omnium copia egissetis, ac nisi aduentitiū quasi quiddam & superuacaneum à Seuthe accepissetis. Quæ enim hostibus eripueratis, iam prorsus erant consumpta: et interea uestrum omnino neminē neq; cæsum, neq; bello captum amisistis. Ad hæc, si quid in Asia præclare gessistis, nonne ea uobis gloria integra atq; incolumis manet? & ad eam nouam hanc in Europa, deuictis contra quos bellastis Thracibus, addidistis? Ego mehercule ita statuo: pro ijs quorum mihi causa irascimini, magnam à uobis dijs in mortalibus, per quos maximorum bonorum compotes fuistis, gratiam habendam. Atq; hic fuit rerum uestrarum exitus. Nunc, quàm mecum sit præclare actum, cognoscite. Ego si domum statim redissem, primùm laudem sanè magnam, quam mihi tunc omnes impertiebamini, reportassem, ac per uos fuisset gloriæ meæ apud alias Græciæ gentes aditus patefactus: fidem uerò mihi habuissent Lacedæmonij, quando illi me ad uos remiserant: Nunc ad ipsos Lacedæmonios, in summam à uobis inuidiam adductus, proficiscor. Vestra etiam causa cum Seuthe inimicitias suscepi, quem meo uestroq; merito speraram, aut mihi aliquando, aut liberis meis, si ita usu uenisset, memorem se & gratum præbiturum. Ac ipsi uos, quorum ego causa, tanto quàm ego sum, potentiorum hominum odia subij: quicq; ab ijs, quas saluti uobis fore existimem, actionibus nondum tamen desistere possum, isto in me animo estis. Sed quid uerbis opus est? iam me habetis, neque fugientem neque deprecantem. Atqui si in me, uti minami-

ni, se-

niſeueritis, hominem certè tolletis, cuius toties uigilan-  
 tia ſeruati eſtis, qui multa uobiſcum geſit, multa pericu-  
 la adiit, cùm ſuam, tum alienam uicem, officio ſuo fun-  
 ctus: quiq; dijs ſauentibus, ac ueſtra adiutus uirtute, mul-  
 ta de Barbaris trophæa erexit. Eum præterea, qui quan-  
 tum maximè potuit, ſemper plurimum contendit, ne cùm  
 ulla Græcorum natione uobis bellandum eſſet. Ac certè,  
 amoto iam metu, quò uobis libet, terra mariue licet pro-  
 fiſci. Vos uerò rebus iam ſequundiſimis fruentes, cùm  
 expedita iam ſit, quod iam pridem cupiſtis, nauigandi fa-  
 cultas: ac ueſtrùm ſibi potentiſſimi auxilium expetant:  
 ſtipendium in promptu ſit: ulro ſe uobis Lacedæmonijs  
 duces præbeant, qui facile præſtare cæteris uirtute & im-  
 perio exiſtimantur: tempus iam, quo me occidatis, ido-  
 neum naſti eſtis. At quàm, perditis et afflictiſis rebus, alium  
 erga me animum præ uobis ferebatis, cùm me, ô maximè  
 omnium memores, parentem appellabatis? cùm meorum  
 erga uos meritorum ſemper ſanctam atq; inuiolatã me-  
 moriam fore promittebatis? At neq; ſunt rerum imperiti  
 hi, qui nunc ad uos uenerunt: quare niſi me animus fallit,  
 nihilo uos certè meliores de ueſtro iſto in me factò iudica-  
 bunt: Hæc Xenophon. Qui cùm peroraſſet, ſurrexit La-  
 cedæmonius Charminus: Et mihi ſanè, inquit, non iurè mè  
 lites huic ſuccèſere uidemini: poſſum enim eum ego quo-  
 que meo teſtimonio ſubleuare. Nam cùm ego & Polyni-  
 ces quæſiſſemus de Seuthe, quid de Xenophonte ſentiret:  
 aliud ille nihil habuit quod accuſaret, niſi quòd eum dixit  
 nimis propenſo eſſe in milites animo: ac propterea cum  
 eo deterius & à nobis Lacedæmonijs agi & ab ipſo Seu-  
 the. Surrexit deinde Eurylochus Lyſtates Arcas: Ac ui-

detur mihi, inquit, Lacedæmonij, nihil nobis antè aufpi-  
 cijs ductuq; uestro gerendum, quàm Seuthes, uelit nolit,  
 quæ nobis debet stipendia penderit: neq; omnino hinc an-  
 tequam ea receperimus, discedendum. Ad hæc Polycra-  
 tes Atheniensis Xenophontis causam agens: Video, in-  
 quit, milites adesse Heracliden, qui pecunia, quam magnis  
 nostris laboribus partam nobis debebat Seuthes, interuer-  
 sa, & Seuthen ipsum, & nos ea fraudauit. Itaque sapie-  
 mus si ipsum comprehenderimus. Neque enim Thrax est,  
 sed Græcus male de Græcis meretur. Hæc cùm audisset  
 Heraclides, uehementer territus est: & ad Seuthen acce-  
 dens, Nos, inquit, si sapimus, hinc abeuntes, ex horum nos  
 potestate subducemus. Vterque igitur citatis equis, in sua  
 castra redierunt. Mittit inde Seuthes Ebozelmium inter-  
 pretem suum ad Xenophontem, ac se illi spondet, & ma-  
 ritima illa loca, et reliqua quæ promiserat, daturum, si a-  
 pud se cùm grauis armaturæ militibus mille permanserit.  
 Addit tanquam arcanum, audisse se de Polynice, illum si  
 in Lacedæmoniorum potestatem uenisset, proculdubio à  
 à Thimbrone occisum iri. Ac sanè hospites multi Xeno-  
 phontem per nuncios monebant, ut concitatam sibi mul-  
 tis criminationibus inuidiam caueret. Ea re commotus Xe-  
 nophon, hostias duas Ioui regi immolat, consulitq;, acque-  
 scendum ne Seuthæ conditionibus, an uerò cum exercitu  
 discedendum. Discedendum exta nunciarunt. Interius  
 Seuthes castra locauit, Græci uerò in uicis: unde frumen-  
 to plurimo coacto, ad mare descendere in animo habe-  
 bant. Hos uicos Medosadæ Seuthes tradiderat. Medosa-  
 des itaque, cùm à Græcis absumi pagana uideret, mole-  
 stissime id ferebat. Assumpto igitur ex Odrysis, qui illuc  
 descen-

descenderant, homine potentissimo, ac quinquaginta ferè equitibus, ad castra propius accedit, & Xenophontem ad se accersit: qui cum centurionibus & honestis aliquot hominibus uenit. Tunc ita Medosades locutus est: Inu-riam uos quidem Græci nobis facitis, qui uicos nostros populamini: uobis itaque edicimus, ego pro Scuthe: hic qui adest, pro Medoco superioris Thraciæ rege, ut ex his finibus quamprimum discedatis: quod nisi feceritis, iniurias uestras nullo pacto feremus, quin tanquam hostes uos ulciscemur. Ad hæc ita respondit Xenophon: Tibi quidem, ad ea quæ dicis, est omnino difficilè respondere. Verùm istius adolescentis causa dicam quæ opus est, ut quales uos sitis, quales item nos, facillè cognoscatis. Nos antequam uobis amici essemus, per hos fines quocumque libitum esset, uel populantes, uel etiam urentes excurreramus: ac tu quoties legatus ad nos uenisses, in ira castra receptus, hostes planè nullos metuebas. Vos uerò in hos agros nunquam ueniebatis: aut si quando uenissetis, ut inter eos, qui uiribus præstarent, frænatis equis pernoctabatis. Postea uerò quàm uobis amicitia nobiscum intercedit, & nostra maxime opera agrum hunc tenetis, eijcitis nos ex ea regione, quam nostra uoluntate captam habetis. Vt enim ipse nosti, nos certè hostes eijcere non potuissent. Tantum uerò abest ut donis ac beneficijs optimè de uobis meritos prosequaris, ut castris etiam locum capere prohibeas. Neque, dum ista dicis, aut deos uereris, aut istum ipsum hominem, qui te iam diuitem conspicit, cum antè, ut ipse profitebare, antequam ad amicitiam te nostram applicasses, è latrocinijs tibi uictitandū esset. Verùm quid hæc mecum agitis? cur non potius cum Lacedæ-

monijs? quibus abducendum exercitum, ô uiri omnium præstantissimi tradidistis, re mecum neutiquam communicata, ne uidelicet eam inuidiam, quam mihi his copijs ad uos adductis concitaram, si nunc illis eas ipse reddidisset, extinguerem. Hæc cum Odrystus ille audisset, ego, inquit, Medosade, infra terram præ pudore, cum hæc audio, me abdere cupio: & profectò si hæc antè scissem, te huc nullo pacto secutus essem. Verùm iam abeo: satis enim scio me apud Medocum reprehensione carere non posse, si me intelligat bene de nobis meritos homines è finibus pellere. Hæc locutus equo citato abiit, & cum eo equites omnes, præter quatuor, aut ad summum quinq;. At Medosades, ut qui æquo animo ferre non poterat agrum populationibus uastari, Xenophontem iubet in consilium legatos Lacedæmoniorum uocare. At ille assumptis lectissimis quibusque, ad Charminum & Polynicem uenit: tum, uos, inquit, accersit Medosades, idem quod nobis imperaturus, ut è finibus abeat: uobis itaq; nunc ea potestas est, ut Græcis debitum à Seuthe stipendiũ auferatis, si ita huic responderitis, rogare Græcos, ut se adiuuetis in sua, à Seuthe uel uolente, uel inuito, mercede recipienda. Atque eos quidem polliceri aliter se, sibi si non defueritis, uobis operam nauaturos. Videri uobis illos æquum poscere: ac uos iam promississe, non antè discessuros, quàm suum ius milites obtinuerint. Id cum Lacones accepissent, se ita dicturos affirmant, atque hanc causam quam accuratissime acturos: ac statim ad Medosadem, cū ijs, qui maximè idonei uisi sunt, comitibus uenerunt: & priore loco Charminus, Adsumus, inquit, Medosade, si quid uelis nobiscum agere: nam & nobis, quod tecum agamus, non deest. Ad hæc

hæc Medosades per quàm demissè: Ego, inquit, & Scuthes rogatos uos uolumus, ne qua in re nostram amicitiam uiolatis. Nam cum hos calamitate afficitis, ea certè in nos iniuria redundat. Sunt enim nostri. Atenim (Lacones respõderunt) si hi, quorum ista maximè opera possidetis, suam à uobis mercedem acceperint, quamprimù hinc abibimus. Sin aliter, & ipsam uenimus auxilium laturi, & in eos acriter animaduersuri, qui hos, iurisiurandi religione neglecta, uiolarunt: quo de numero si uos estis, istinc primù pœnas expetemus. Adiecit Xenophon: Velitis ne Medosade, his permittere (quandoquidem uestros amicos esse dicitis, quorù in finibus nos sumus) suffragio suo declarare, utrù nos, an uos potius, malint hinc abire? At ille id sibi nõ placere respondit: tantù Lacones hortatus, ut ad Seuthen secum uenirent, & cum eo de mercede agerent: sin ipsi id recusarent, ut Xenophontè secum mitterent, ac se ei auxilio fore promisit. Interea rogauit, uicos ne irerent. Mittitur Xenophon, & cum eo, qui maximè idonei comites uisi sunt. Qui cum ad Seuthen accessisset: Adsum, inquit, nõ ut à te quicquã repetam, sed ut doceã, qua possim ratione, mihi te non iure succensere, quòd militibus, quæ tua summa uoluntate pollicitus es, à te exigam: siquidem tibi semper magis conducere ea reddere duxi, quàm illis recipere. Illud enim satis scio, te illos, secundù deos, illustrem reddidisse, qui tam ampli regni te compotem fecerint, ac tam magnum hominum numerum potestati tuæ subiecerint, ut nullum iam, aut honestum, aut turpe factum tuù, obscurum esse possit. Quare cum ita se restuæ habeant, tua permagni arbitror referre, nõ uideri te homines tam bene de te meritos, tam inhumaniter dimisisse. Neq; uerò

Viri constantis  
oratio quid ualeat.

paruifaciendum est, hominum te VI. millium laudibus celebrari. Nam certè illud est tibi omnium maxime expetendum, neque irrita, neque uana uideri, quæ dixeris. Video enim leuium & inconstantium hominum orationem, futilem & inanem haberi, ac temerè huc atque illuc errare, sine pōdere ullo, aut honore. Cōtrà uerò cum fidei quempiam rationem habere maximam confiterit, eius orationem, si quid rogarit, nihilo minus ualere, quàm aliorum uim: eundem si quenq̃ ad officium uelit reuocare, minādo id facilius, quàm alios puniēdo cōsequi posse: ac postremò plus proficere promittēdo, quàm alios statim dando. Recordare uerò cū nos tibi socios ascuiisti, an præ manu aliquid nobis dederis: certè tu quidem nihil, sed tuam duntaxat fidem secuti sumus: & ea una tot homines cōcitasti, quorum maxime auxilio & opera tibi id imperium partum est: quod multis partibus pluris æstimandum, quàm ea L. talenta, quæ à te nostri repetunt. Primum fides (quæ tanti fuit, ut tibi etiam regnum parauerit) à te ista pecunia uenditur. Iam uerò quanti, obsecro te, æstimares istarum te rerum potiri posse, quæ in tua nunc potestate sunt? Mihi profectò dubium esse non potest, quin ista, quæ tibi effecta reddidimus, multò maiori, quàm quātam nobis debes, pecuniæ fueris prælaturus. Mihi certè & damnum, & dedecus multò maius esse uidetur, parta non tueri, quàm quæ in aliorum sint potestate, non uindicare: quanto scilicet grauius est è diuite pauperem fieri, quàm omnino ab initio diuitem non fuisse: quantoq̃ sit acerbius è regno eijci, quàm non esse regnum unquam cōsecutum. Et illud etiam non ignoras, eos qui nunc tibi parent, non amicitia cōciliatos, sed ui parère coactos: aq̃ eos si quod recipien-

recipiendæ libertatis tempus nacti fuerint, neq; ullo fuerint metu retardati, faciliè rebellaturos. Vtro igitur modo facilius in officio cõtineri possint, si milites hosce eo erga te animo esse uideant, ut uel si iubeas maneat, uel cum opus fuerit quamprimum ad te redeant, atque id eos audiant prædicantes, tuo se merito tibi ubiuis locorum præstò futuros: an uerò si spem in perfidia tua positam habuerint, neque aliunde manum ullam tibi auxilio uenturam, neque hos quibus es usus, tibi quicquam fore quàm ipsis amiciores? Neque uerò illi quòd nostris copijs numero inferiores essent, subacti sunt, sed quòd planè duces nullos habuerunt. Quid futurum igitur est, si aut ex ijs, qui iniuria se lacepsitos putant, dux illis unus aliquis extiterit? aut etiam ex melioribus, uidelicet Lacedæmonijs? quibus cum milites alacriores in bello futuros se polliciti fuerint, si in repetenda sua se adiuuerint mercede, certè cum exercitu indigeant, id illis concedent. Quòd autem, qui sub imperio tuo sunt Thraces, multò sint alacrius contra te, quàm tecum arma sumpturi, ex eo non est difficile conijcere, quòd te regnum obtinente, seruitus: eiccto, libertas illis parata est. Iam uerò si regioni huic, tanquam tuæ, bene consulendum est, utro tandem modo eam integriorem fore iudicas: si milites hi sua mercede, cuius tibi causa irati sunt, recepta, pacati abeant, an uerò, si & hi agrum populationibus infestum reddant? & maiorem tu, quam his opponas, manum comparare coneris, cui erunt nihilominus commeatus curandi? Et pecunia utra tandem ratione maior erogabitur, si quod his debes dissolueris, an uerò si & his uno tempore debeas, & alius tibi sit uel hoc maior exercitus alendus? Atenim hæc pe-

cuniae summa, Heraclidae, quod ex eius oratione cognoui, per hercle magna uidetur: sed certè decem partibus minor tibi, uel reddenti uel accipienti, uideri debet, quam ea, quam, cum ad te uenimus, possidebas. Neque enim numero, quantum quis uel det, uel accipiat, sed hominis ipsius facultate metiendum est. Tu uerò nunc maiores quotannis fructus capis, quam quanti omnis antè pecunia tua censeretur. Atque id ego tibi tanquam integra amicitia nostra suadeo, quò & ipse deorum tam multis beneficijs dignus habere, & mihi non sit concitatae multitudini capitis poena luenda. Qui est enim in praesentia militum in me animus, neque ego his copijs inimicum ulcisci, neque iterum si uelim, tibi opem ferre possim. Atqui & ipsum te, & deos, quos nihil latere potest, testes cito, nihil me, eo nomine, quòd tibi Graecos conciliarim, abs te accepisse: neque unquam quae illis deberentur, mihi ut dares postulasse: quando neque ea repetij, quae tu mihi ultro promissisti. Illud etiam iureiurando affirmo, nihil me abs te accepturum fuisse, nisi et milites suum recepissent. Quid enim turpius, quam meis ipsius rebus ex animi sententia transfactis, eorum causam negligere, qui me maxime ornatum & honestatum uoluerunt? At Heraclides nugae esse arbitratur omnia, praeterquam argentum quouis modo partum habere. Ego uerò Seuthe nihil homini cuius, ac praecipue ei, qui in alios imperium habeat, ullas opes existimo pulchriores, aut honestiores, quam uirtus sit, iustitia, animi magnitudo: quae qui possideat, cum ei tam multi amici sint, ac tam multi esse cupiant, non potest non diuitijs plurimum abundare: neque omnino ijs in sequendis qui gratulentur, in aduersis qui opem ferant, requirit. Quòd  
 si neq;

si neq; ex ullo factō meo satis perspectum habes, me tibi ex animo amicum esse, neque id etiam potes ex oratione mea cognoscere, ueniat tibi quæso in mentem eorum, quæ à militibus ipsis dicta sunt: audisti enim cū dicerent uituperatores mei, dum apud Lacedæmonios me insimularent, te pluris multò à me, quàm Lacedæmonios fieri: meque accusarent, quòd tuis, quàm suis rationibus bene consultum mallet: ac iisdem accepisse me abs te pecuniam obijcerent. In quam suspicionem unde putas eos uenisse? An quòd me potius hostili, quàm prompto & beneuolo in te animo esse animaduertebāt? Ego mehercule ita existimo, neminem à quoquam, nisi beneuolentiam erga illum præse ferat, munera accipere. Ac tu quidem, antequam de te quicquam bene mererer, & uultu & uoce me, hospitalibus etiam donis liberalissimè accepisti: promittendi uerò nullum finem faciebas: posteaquam uoti compos factus es, ac quantum ope, operaq; mea fieri potuit, creuisti, nihil quòd militibus nostris contemptui sim, ad te pertinere arbitraris? Atenim confido, ex tempore ipso consilio capto, te quod debes dissoluturum. Nam adduci non possum ut credam, te semper bene de te meritorū hominum querelas pro nihilo habiturum. Te igitur rogatū uelim, ut cū satis militibus feceris, me etiam apud eos, in quem accepisti, locum restituas. Hæc ubi Seuthes audiuit, male ei precatus est, cuius suasu adductus Græcis iam pridem stipendium non pendisset (illum nimirum Heracliden fuisse omnes suspicati sunt) Mihi enim, inquit, nunquam, ut milites sua mercede fraudarem, in mentē uenire potuisset, ac iam quod debeo dependam. Tunc Xenophon: Si certum est dependere, per me istud agito: neque me negligas in eum,

quem cum ad te ueni, tenebam apud milites, gratiæ & honoris locum restituere, cum præsertim cum, dum plurimum tua causa uolo, amiserim. At nihil, respondit ille, mea causa uolo apud tuos de tua existimatione detractū. Ac si mecum maneas, cum mille duntaxat grauis armaturæ peditibus, & regiones tibi maritimas tradam, & quæ pollicitus sum omnia. Ad hæc Xenophon: Non est id, inquit, iam mihi integrum, quin tu nos quamprimum dimittito. Tunc ille: At enim certò scio, si manseris, multò id tibi tutius futurum. Quòd mihi, inquit rursus Xenophon, cautum uelis, agnosco humanitatem tuam: sed non est id planè arbitrij mei. Verùm quicquid mihi honoris accesserit, id uelim existimes, ex re usuq; tuo magnopere futurum. Ibi Seuthes, Mihi, inquit, in præsentia argenti in promptu nihil plus est, quàm talentum unum, & illud iam tibi pendam. Boues uero DC. oues ter mille, mancipia centum & uiginti penes me sunt, hæc omnia aufero: & eos simul, qui te læserunt, à me obsides cape, ac quòd libet abi. Subrisit Xenophon: & quid, inquit, si quæ aufero omnia integram mercedem conficere non possunt, cui nam talentum dabitur? Nonne satius fuerit, quod ab inimicis mihi imminet, periculum deuitare? audisti enim eorum minas. Ac tunc simul noctem eam peregerunt. Postero uerò die quæ promiserat Seuthes tradidit, ac simul qui præ omnia agerent misit. Interea uulgò inter Græcos oratio ea iactari cœpta, non rediturum amplius Xenophontē: sed apud Seuthen ablati ijs, quæ ille promississet, mansurum. Quare ubi uenientem uiderūt, lætati magnopere sunt, ac ei cum gratulatione occurrerūt. Is uerò ubi Charminus & Polynicus in conspectu fuere,

Hæc

Hæc, inquit, opera uestra recepta sunt, quæ nunc uobis trado, uos ea arbitrato uestro diuidite. Illi magistris uenditionis constitutis, omnia uendiderunt: neq; omnino inter uersæ pecuniæ suspitione carere potuerunt. At Xenophon ab omni iam se cura abduxerat, neq; ulla de re magis, quàm de reditu cogitare uidebatur: nondum enim ei populi suffragio erat Athenis exilij pœna constituta. Hic ad eum homines è toto exercitu longè honestissimi accesserunt, ac multis cum precibus, ut non antè discederet contenderunt, quàm copias illas Thimbroni traderet. Cùm se igitur ille exorari fuisset, è Thracia classe Lampfacū omnes traiecerunt: ibi Xenophonti obuius fit Euclides Phlias uates, Cleagoræ illius filius, qui in Lyceo somnia pinxit: ac de reditu gratulatus, quæ fuit quantum auri attulisset: iurauit Xenophon se ne uaticum quidem habere quantisper domū perueniat, nisi equum & sarcinas uendat: quod ille ut crederet adduci non poterat. Sed cùm Lampfaceni hospitalia dona misissent, adhibito Euclide Apollini Xenophon immolauit: inspectis uerò extis, se iam credere dixit Euclides nullam Xenophontem pecuniam habere. Atenim uideo, inquit, etiam in posterum ad pecuniam cogendam semper tibi aliquid impedimento futurum, si nihil aliud, temet tibi. Assensus est Xenophon. quid ni, inquit ille, cui aduersarius sit Iupiter placibilis? Quæsiuit rursus, nunquid ei sacrum fecisset aliquando, uti ego, inquit, domi uobis consueram & immolare & uitimam adurere. Negauit Xenophon, se unquam illi deo toto peregrinationis tempore rem diuinam fecisse. Persuasit igitur ille, ut sacrum ei faceret, ac secundiora futura deinde omnia affirmauit. Postero itaq; die Xenophon sub

Ophrynij mœnibus porcos mactat, & patrio ritu adurit. Litatum quidem est. Eodem ipso die adfuere Biton & Euclides, pecuniam militibus daturi: & inuitarunt illi quidem Xenophontem, & equum, quem Lampfaci uenunderat (suspicati numorum egestate coactum illum uendidisse, cum alioquin equo audissent eo plurimū delectatū) redemptum illi reddiderunt, neq; precium recipere uoluerunt. Hinc profecti per Troiam, Ida superata Antandrum perueniūt: inde per oram Lydiæ in Thebes cāpos. Illinc prætergressi Adramytium, Certoniū, Atarnum, & Caici campos, Perganum Lydiæ oppidum intrant. Xenophon ab Hellade Gongyli matre hospitio acceptus, ex ea cognoscit, Asidaten hominem Persam in campis commorari. Hunc, inquit, si noctu, uel cum trecentis tantū hominibus adoriare, facîle cum uxore & liberis opprimes, ac tota eius pecunia, quam planè luculentam habet, potiere. Ac ne ducem desideret, mittit Daphnagoram patruelem suum, hominem quem plurimi faciebat. Xenophon militibus iam coactis, rem diuinam facit. Agastias Eleus uates, leta esse exta nunciat, ac hominem posse capi. A cœna itaque iter ingressus est, assumptis ex omni centurionum numero amantissimis ac fidelissimis quibusque, quos nempe suo beneficio præ cæteris ornatos uellet. In eum tamen se militum delectum DC. ferè alij intrudere conati sunt, quos centuriones repulerunt, ne cum illis prædam, quam sui iuris futuram pro certò habebant, communicarent. Peruenerunt autem media ferè nocte ad Asidatæ munitiones: ibi cum & mancipia, & res item multe extramunimenta essent, de manibus omnia sunt elapsa, propterea quòd ad unum Asidaten, & eius pecuniam occupandam,

dam, animum adiecerant. Cùm uerò munimenta iam oppugnare cœpissent, neque turrem quandam capere possent, quòd præalta erat, ac firmissimis propugnaculis, & lectissimis hominib. instructa, eam aggressi sunt subruere. Erat muri latitudo, quantam fictilium laterum octonum structura efficere potuerat: opus tamen prima luce confectum. Sedenim cùm iam turris peruia esset, ex ijs qui intus erant quidam, de nostris eum qui sibi proximus erat, ueruto transfodit: ac reliqui sagittis iaciendis effecerunt, ne cui esset uel prætereire tutum. Cùmq; ijdem clamore, & ignium significatione auxilium implorassent, præstò fuit cum suis copijs ex Comania Itabelius. In ijs erat grauis armatura, præsidarij equites Hyrcani, omnes regis mercenarij, numero LXX. reliqui cetrati, haud minus DCCC. Accurrerunt item ex Parthenio alij, alij ex Apollonia, & ex finitimis locis tam multi, ut iam nostris non de oppugnando, sed pedem referendo cogitandũ esset. Coactis igitur in medium quadrati agminis bobus, ac reliquo quod abegerant pecore, atq; item captiujs, pedetentim retrocedere cœperunt, non iam prædam inhiantes, sed unum id agentes, ne discessus similis fugæ uideretur, si partam iam prædam relinquere cogerentur, atque ex eo hostibus audacia cresceret, sui animis deficerent. Ac planè ita retrocessum est, ut pugnam de præda tuenda inituri uiderentur. Iam rescierat Gongylus Græcos ab hostibus numero superari: quare matre inuita, & ipse cum copijs suis, ut præclari alicuius facti particeps esset, auxilio uenit. Venit itẽ ab Elisarne, et Teuthrania à Demaraso missus, Procles. Qui uerò cū Xenophõte erant, cū telorum & fundarũ iactibus penè obruerẽtur, ut iter faciẽtes

obiectu clypeorum se tegerent, in orbem agmen conuer-  
 terunt, ac uix Carcasum amnem traiecerunt, cum plus di-  
 midia parte saucij essent, ac inter ceteros uulnus etiã ac-  
 cepisset Agasias Stymphalius centurio, homo perpetuis di-  
 micationibus exercitus. Captiuos serè CC. retinuerunt:  
 pecoris quod esset ad immolandũ duntaxat satis. Postero  
 die sacris peractis, noctu copias omnes educit Xenophõ:  
 ac longissima uia, per Lydiam agmen circumducit, ut ho-  
 stes metu iam uacui, cum nihil sibi caueret, facilius oppri-  
 merentur. Asidates cum audisset Xenophontem de agmi-  
 ne iterum aduersus ipsum educẽdo sacra fecisse, neq; mul-  
 tò post cum copijs omnibus ad futurũ, in pagos castra mo-  
 uere statuit, Parthenico oppido proximos. Eò cum con-  
 tenderet, in Xenophontis milites incidit, à quibus cum  
 uxore, liberis, equis, ac reliquis fortunis captus est. E-  
 uentus itaque, sacri prioris fidem comprobauit. Cum iam  
 Pergamum omnes redissent, Xenophon minus sibi equos  
 deos fuisse questus est, propterea quò à sua tantum cohor-  
 te negocium geri non potuerat, sed eius expeditionis par-  
 ticipes fuerant Lacones, & centuriones alij, quàm quos  
 ipse delegerat: duces præterea, & milites, qui sibi bellissi-  
 mum quodq; ex omni præda præcepserunt, equos uideli-  
 cet, iumentorũ iuga, & quæ uisum est alia, ut iam eorum  
 unusquisq; haberet, unde & alijs benigne faceret. His ita  
 gestis Thimbron superuenit, qui cum acceptum à Xeno-  
 phonte exercitum, ijs quas ipse adduxerat Græcorum co-  
 hortibus admiscuisset, Tissapherni & Pharnabazo bel-  
 lum intulit. Regionũ omnium quæ sub regis ditione erãt,  
 quasq; nos peragrauimus, illis temporibus hi præfecti fue-  
 runt: Lydiæ, Artimas: Phrygiæ, Artacamas: Lycaoniæ &  
 Cappa-

Cappadociæ, Mithridates: Ciliciæ, Syennesis: Phœnicis,  
 & Arabiæ, Dernes: Syriæ, & Assyriæ, Belesis: Babylo-  
 nis, Roparas: Mediæ, Arbacas: Phasianorum, & Hesper-  
 ritanorum, Tiribazus. Nam Carduchi, Chalibes, Chal-  
 dæi, Macrones, Colchi, Mosynœci, Cœtæ & Tibareni,  
 omnes sui iuris erant. Paphlagoniæ præerat Corylas, Bi-  
 thynis Pharnabazus. In Europa Thracibus Seuthes im-  
 perabat. Totius itineris spaciū, quod aut progredien-  
 tes aut regredientes consecerunt, fuisse castra ducena  
 quindena, parasangæ MCL. quæ summa stad.  
 efficit tricies & quater mille, CCLV. Mil-  
 liariūm circiter quater mille & DC.

Quo quidem in itinere annus  
 & menses III. con-  
 sumpti.

LIBRORVM XENOPHONTIS DE  
 expeditione Cyri minoris, finis.